



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXXVII. Egelbertvs. LI. Arch. VI. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

ex rupe altissima dedissent præcipitem, toties tamen ope divina recepissent incolumem, pars ad petendam veniam agendamque pœnitentiam conuersa, pars tortorum altera in scelere pertinacior, evaginatis gladiis confecit D. Præsulem, multis miraculis eo ex tempore clarissimum. Inter miracula etiam hoc numerârunt: cùm Theodoricus Comes D. Conradi passim Martyris dicti, sepulchrum adire pararet, vi occulta repulsus, aditum per lacrymas pœnitentiæ testes quæsiuit. In Sedem interea Trevirorum promotus Ado Comes Nellenburgicus, & pro more à Pontifice confirmatus, continuò DD. Martyrum ad D. Paulinum corporibus in aperto eoque sacratiori loco collocandis strenuam dedit operam, quæ unà cum S. Paulini Reliquiis, & adjectâ tabulâ nominum & miraculorum teste fuerunt reperta. Idem ad radices montis Juræ, templum D. Helenæ honoribus consecratum, in Uhren erexit, cui S. Numeriani Archipræsulis ossa ornamenti maximi loco donavit. Divorum quorumvis honorem ampliùs promoturus, Martyrologium conscripsit, quod Adonis dicimus. Annis vitæ ultimis Romam profectus, insignem didicit, aut veriùs perfecit, pridem doctus constanter agere, constantiam: Redux enim, dum Henricum IV. Imperatorem Pontifici invenit infensissimum, pro Pontifice stetit Ado contra Cæsarem. Mortuum anno 1077. dicunt in Suevia, inde Treviros deportatum, atque in summa æde sepultum tradunt. Sedit annis 10.

## LXXVII. EGELBERTVS. LI. ARCH.

## VI. ELECTOR.

**E**gelbertus ex illustri stemmate in Bavaria natus, permultis suis meritis Henrico IV. Imperatori se gratum pretiosumque præstitit; unde ab hoc schismatico Cæsare invitis plurimis in Sedem Trevirensium intrusus, hoc honore fuisset dignissimus, si in eo rerum articulo fugisset: non enim nisi à schismaticis Epif-

copis post annorum sex ab habita electione spatium consecratus, & serò nimium pallium potestatis Ecclesiasticæ insigne à pseudo-pontifice Clemente adeptus, dum schismatici Cæsaris partes nunquam seriò reliquit, perpetuum bonorum ferè omnium odium ac tædium peperit; tametsi multa ageret, quæ commendationem merebantur maximam: Divorum namque, præsertim Trevirensium majori honori, ac venerationi sedulò consuluit, & Ecclesiæ suæ jura strenuè defendit, & pedo adversùs lupos, & gladio adversùs Ecclesiasticorum bonorum invasores usus, quod factum Superi miraculo sunt visi laudare: Henricum namque Comitem Limburgensem Arlunensis Marchionatus Ditiones Metropolitanæ Ecclesiæ ab Adelhaide donatas, armata manu repetentem, Egelbertus primùm anathemate percussit, dein verò justa acie profligavit: ubi evenisse ita tradunt, ut cum Henricus anathematis sententiam sprevisset, & prehensio manibus carnis frusto dixisset: tam parùm Episcopi sententia me cœlo privat, quàm parùm hic canis à comedenda carne abstinet; canis à carne, attonitis cunctis, abstinerit, & fugerit, ac Henricus Egelberto gemina ex parte victori manus dederit. Tandem Elector hic multis defunctus periculis, discrimen mortis adiit maximum, dubio posteris relicto, an Ecclesiæ reconciliatus obiêrit, tametsi in æde Trevirensium summa sepultus fuerit an. 1101. postquam annis 24. potiùs pro Sede pugnavit, quàm sedit,

## S E C U L U M XII.

LXXVIII. BRVNO. LII. ARCH.

VII. ELECTOR.

**B**Runo ex illustrissima Brethemiorum Comitum stirpe in Francia Orientali oriundus, ab Adone verò Archipræsule educatus, Moguntia tandem post sui electionem consecratus, placuit Trevis & Elector, & Archipræsul. Displacuit ve-

P

rò